



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Vita Venerabilis Arnesti, (vulgò Ernesti) Primi Archiepiscopi Pragensis**

**Balbín, Bohuslav**

**Pragæ, 1664**

Notæ in Caput IV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42763**

injecit. Narrabo rem ab Antiquitate testatissimam ipsius *Arnesti* verbis, simulac *Dive Virginis* in Templo Glacensi statuam, unde illud miraculum prodijt, breviter descripsero.

## Notæ in Caput IV.

**G**laci Slavica lingua; Nulli id dubium esse potest, qui modo in patria historia mediocriter sit versatus; Vide *Dissertationem meam de Comitatu Glacensi*. In Parochia Glacensi quondam duo, ut tum vocabant, Plebani à Melitensibus constituti: alter Germanicè, Bohemicè alter ad populum dicebant. Extant in vetustissimis membranis Plebano Bohemorum Glacij, ab Apostolico Nuncio Rudolfo A. 1461. missæ litteræ, quas Glacense Chronicon refert, hortantes, ut auditores suos Bohemos auctoritate sedis Apostolicæ ab obsequio & Sacramento Georgij hæretici Regis absolvat. Translati deinde, ob incommoda quadam, Bohemi sunt ad S. Wenceslai Templum ad Arcem situm: sunt apud me nomina quorundam Plebanorum Glacensium Bohemorum. Tota certè illa, quæ Pragensis vel Bohemica Platea Glacij dicitur, suo olim regebatur Præsfecto, qui Bohemicè jus dicebat, ut manuscripta testantur. Vidi ipsè quarundam Tribunal Glacij Privilegia Bohemicè à Principibus concepta, & scripta, quæ diligenter à tribunal Magistris hodièq. servantur. Nomina locorum Bohemica in Comitatu plurima sunt, ut Lomnic (ubi latomia) Levin, Bistrzice, Hradek, Homole, Dufsnik, Mielnik, &c.

Glacense Chronicon M. S. Michaelis Pragensis.  
S. Wenceslai Templum Glacij Bohemicum fuit.

**Henricus Silesiæ Dux.** Nulla ferè ditio est, quæ toties Dominos mutavit ut Glacium; Districtum Glacensem vocant

*Manuscripta*. A. 1463. primum in Comitatum erectus est, à Casare Friderico III. sed Vladislaus Rex disertissimè A. 1472. 29. Aprilis Prage, donat familia Cundstadianæ, expressè tamen adjicit: eâ lege donari, ut sit Comitatus in perpetuum Bohemiæ incorporatus. Habuit hic Comitatus plures Dominos ex Bohemis, quales fuerunt, Berca

Glacium olim multos habuit Dominos.



Berca, Pernsteinij, Hardekij &c: & quod mirère A. 1316. Hinko de Duba, dicitur Berka, cujus litteras vidi in Vigilia Epiphania Domini datas, Dominum se Glacensis territorij subscribit. Quod cum Hagecij Chronologia, & de Glacio narrationibus pugnare videtur: ego conciliare partes non potui, feliciores expecto.

Descriptio Statuæ Beatissimæ  
Virginis Mariæ in Templo ejusdem  
Glacensi, multùm ab Arnesto Archiepi-  
scopo cultæ & amatæ.

CAPUT V.

**E**st in Regia Civitate Comitatus Glacensis in Parochiæ Templo (quod ut olim ab Hospitalariis S. Joannis, ita nunc consensu Summorum Pontificum, Cæsarum atq; Ordinis ipsius, Societati JESU traditum, eodem jure omnino regitur) est, inquam, in medio summi Altaris (velut centrum, & princeps Templi illius Imago) lignea quædam *Beatissima DEI Matris* effigies; duarum ulnarum & semis longitudine, sinistra *IESUM* suum, dextrâ sceptrum gestans, amabilis imprimis, plena tamen regis cujusdam, quam toto vultu spirat, dignitatis. Qui totam sacræ hujus Imaginis symmetriam, & sîla, ut sic dicam, omnia, amotis ornamentis curiosius inspexerit, facile mecum sentiet, fatebiturq; Statuam *DEI Matris* in *S. Monte* similitudinem maximam ad hanc Glacensem habere; situs idem est Matris & Pueri, utraq; curvato modicum, adversus pondus infantis, corpore consistit, gemina deniq; sunt omnia, uno tantum dexteræ manûs labore differre videntur: nam Glacensis sceptro tenendo occupatur,

Statua Bea-  
tissimæ Virgi-  
nis Glaciæ.